



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

II. Consideratio & Affectus de Immensitate Dei. Feria II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

bitâ charitate in Sacramento suscipiam,  
omniq; possibili devotione laudem. Qui  
vivit & regnat in secula. Amen.

II. *Oratio ad SS. Angelos.*

**O** Sancte mi Angele Tutelaris, ceteriq;  
Angeli sancti, qui statis in domo Do-  
mini & in atriis Domûs Dei nostri, in  
conspectu Throni & Agni, summo cum  
stupore, amore & reverentiâ: Assistite mi-  
hi hodie meq; excitate ut simili stupore  
& amore, reverentiâ & devotione ad a-  
ram consistam, & divinissima hæc myste-  
ria peragam.

III. *Oratio ad Sanctum hodiernum.*

**O** Sancte N. aspectu beatifico jam fru-  
ens, Deiq; Majestatem, Potentiam,  
Sapientiam & Bonitatem facie ad faciem  
contemplans, tuâ quæso intercessione, ita  
hodie cœlestia hæc Sacramenta suscipiam  
atque tractem; quemadmodum tu, si in  
terras redires, eadem susciperes vel tracta-  
res. Per Christum D. N. Amen.

II. *Consideratio & Affectus de  
Immensitate Dei.*

FERIA II.

I. **O** Deus immense! tu es ubique &  
absque



absque termino in omnem dimensionem quodammodo diffusus: tu es excelsior caelo, profundior inferno, longior terra, latior mari: tu omnem complecteris locum, omnem excedis numerum, omnem transis infinitatem: tu omnem dimensionem, omnem aeternitatem, omnem multitudinem, omnem perfectionem imaginabilem longissime superas, & in infinitum excurrens. Verè igitur, magnus es Domine & laudabilis nimis; & magnitudinis tuæ non est finis! da mihi intellectum, & scrutabor mirabilia tua & magna tua.

II. Tu verò, Anima mea, aperi oculos fidei, & videbis in hoc admirabili Sacramento totam Numinis immensitatem, quam debes revereri: cernes hinc immensam Bonitatem, quam debes diligere: reperies infinitam Majestatem, quam debes adorare; supremam Sapientiam, cum qua potes conversari; divinam Omnipotentiam, cui potes confidere; immensam lætitiã in qua potes exultare. Credo Domine hæc omnia firmissimè, & adoro te, amo, ac revereor te Deus O.M. & undequaque imense.

P 3

III. O



III. O Magnitudo omnem mensuram  
 excedens, cœlum terramque implens!  
 quanto cum tremore & reverentiâ ad te  
 adrepere par est exilem terræ vermicu-  
 lum; quantâ animi demissione & devo-  
 tione, quanto fervore & desiderio ad  
 summam Majestatem excipendam præ-  
 parare se debet vilis homuncio; pro cuius  
 præparatione tota non sufficeret æterni-  
 tas; quomodo ausim, Deus meus, distra-  
 ctè preces fundere, oscitanter celebrare,  
 peccatumve aliud committere, te per Im-  
 mensitatem mihi intimè præsentem, cogi-  
 tationes meas intuente, cor & renes per-  
 scrutante, & expeditam habente omni-  
 potentiam, quâ mox vindictam de pec-  
 caris meis sumere valeas?

Accedo itaque ad te, Domine, cum ti-  
 more & tremore, ex consideratione Ma-  
 gnitudinis tuæ infinitæ: sed & cum amo-  
 re & gaudio ex consideratione bonitatis  
 immensæ: ac libens pareo, licet indignus,  
 quia tu jubes & vis me ad mysteria tua ac-  
 cedere. Suppleat ergo tua Majestas, quo  
 caret mea vilitas: & quod mea non habet  
 parvitas, tua compenset Immensitas. Amē

III, Con-